



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 60. Isabellæ Castellæ Reginæ extrema.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

ponerent, cum in animo firmiter statuis- Sæcul. XVI.  
 sent ejusmodi restitutioni oblectari. Nec A.C. 1504.  
 temeraria erat Friderici opinio, quapro-  
 pter ante obitum suum, vitæ suæ termi-  
 num instare sentiens, Filio suo Calabriae  
 Duci literas monitis, atque consiliis non  
 minus prudentibus, quam salutaribus  
 plenas hunc in modum perscripsit: *De-*  
*bes te, inquit, ita rebus præsentibus*  
*accommodare, ut ad majora nitaris, neque*  
*præposteris voluptatibus extingui vigorem*  
*animi, frangi corpus, neque terri difficul-*  
*tatibus quamvis maximis patiaris: te for-*  
*tem & munificum, ut præsens fortuna dat,*  
*cunctis exhibe, corpus idoneis laboribus viri-*  
*le effice ac militare, modestia animum firma.*

§. LX.

*Isabellæ Castellæ Reginae ex-*  
*trema.*

Eodem quoque Mense die vigesima sex-  
 ta, decima septima post Friderici o- Marian. l. 28  
 bitum die Isabella Regina Medinae Cam- n. 60.  
 pi mortalitatem exiit, anno ætatis suæ Spond. l. c.  
 quinquagesimo tertio. Huic Hispania n. 4.  
 amplissimos Monarchiæ suæ fines, Gra- Bonaccurs.  
 natam, Neapolin, Canarias Insulas, No- in Diario.  
 vumque Orbem maxima parte debet. Osovius lib. 3  
 Eadem extremo, antequam moreretur, Raynald. hoc  
 die testamenti tabulas condidit, in quibus ann. num. 40.  
 Joannam Archiducissam Filiam suam  
 natu

Sæcul. XVI. natu majorem, unicam Castellæ, regno-  
A.C. 1504. rumque adjacentium hæredem scripsit,  
 voluitque, ut Archidux illius Maritus in  
 imperii consortium vocaretur, si vero ob  
 absentiam, valetudinem, aut ob aliam  
 quamcunque causam, Joanna regni ad-  
 epti curam non susciperet, aut Castellæ,  
 ceterisque regnis ab ea dependentibus  
 imperare omnino recusaret, tunc sanxit,  
 ut standum esset decretis, quæ ante bien-  
 nium in comitiis generalibus Ordinum  
 Regni ad populi preces condita fuissent;  
 proin Joannæ nomine & loco Ferdinan-  
 dus Rex regnum gubernaret, donec Ca-  
 rolus Nepos vigesimum annum attinge-  
 ret. Præterea testamento cavit, ut idem  
 Rex præter tres supremos Magistratus  
 Equestrium Ordinum S. Jacobi, Calatra-  
 væ, atque Alcantaræ a S. Sede Ferdi-  
 nandi administrationi concessos, etiam  
 media parte potiretur ex cunctis rediti-  
 bus, qui Castellano regno ex omnibus  
 Insulis, & Terra firma recens ab Hispa-  
 nis in novo Orbe detectis proveniunt,  
 præter viginti quinque Ducatorum mil-  
 lia, quæ quotannis ex Regii ærarii pro-  
 ventibus perciperet. Hanc supremam  
 voluntatem exequendi provinciam de-  
 mandavit Ferdinando Regi Marito suo,  
 Ximenio Toletano Archiepiscopo, Di-  
 daco de Deca Palenciæ Episcopo, &  
 duobus regii ærarii Præfectis, scilicet  
 Anto-

Antonio de Fonseca, & Joanni Velasquez, necnon Joanni Lopez de Lazzaraga qui in edendis edictis Reginæ a secretis erat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1504.

## §. LXI.

*Archidux ob Isabellæ testamentum ira accensus.*

Isabella vix fatis functa, aperiuntur testamenti tabulæ non sine ingenti Archiducis fastidio, qui se modo haud tolerando vilipensum censebat, quippe ex nuptiali pacto, quo Philippus cum Archiducissa conjugali vinculo jungebatur, Tutor nominabatur, si forte ipsa regiminis incapax esset: Nihilominus neglecta hac lege Ferdinando ejus Socero tutela deferebatur; hanc ipsam injuriam Castellæ Proceres Philippo illatam haud minus acerbe tulerunt, hinc habito consensu clarissimum Joannem Manuelem, ad curandas Philippi res in Castella relictum, ad eundem ablegant. Hic cursoriis equis ad Archiducem delatus, eundem his verbis alloquebatur: „Isabellæ testamentum nihil moreris, Archidux, aliena a mente illud scripsit, firmavitque, non nisi extrema vitæ suæ momenta consecrans, ut solidissimas Castellanæ Monarchiæ leges violaret, e quidem Regni administrationem Ferdinando

*Marian. ib.  
Alv. Gomez  
lib. 3.*